



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bavaria Sancta Maximiliani Sereniss. Principis Imperii,
Comitis Palatini Rheni, Vtrivsq. Bav. Dvcis Avspiciis**

Rader, Matthäus

Monachii, 1615

B. Mechtildis Virgo Andecensis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79686)

B. MECHTILDIS

VIRGO ANDECENSIS.

CICLIV.

Chronicon

Andecen-

se. Trithem-

ius, Chron-

icon His-

soriae, ali-

quid Engel-

hardus Abba-

tis Lantha-

menfis.

Vide V. to.

antiqu. lect.



Dieffen-

sanobij &

Ostfist.

us Abba-

tissa.

MCLIV.

Vel Et ali-

MCLX.

IV. Cal.

Martij se-

pultum

Damasia-

no cenobio

Bavaria.

Am testata fuit huius virtus virginis, vñ nefama quidem auderet de ea mentiri, quod, magno teste Ambrosio, decus maximum est, quo commendatur Virgo. Quam ergo te memorem virgo, quam innocentia fecit homine maiorem? Nihil erat te, nobilissimo Berchtoldo ex illustrissima Andecensium Comitum familiâ oriundam? nihil Principū & Imperatorum propinquam? nihil quod mirari solet orbis, tibi mirum vel expetendum; quæ sub ipsos infantiae annos, iam cælum animo concepisti, nihilque mente nisi diuinum & cæleste complexa es. quinquennis Deo dedicata, mox vini, carnis, lecti, omniumque suauioris vitæ commodorum vsu abstinuisti, ibique tantum in vitâ liquorem vitis gustasti, cum aqua ipsa, occultâ vi Numinis, in vini laticem tertium migravit. Felix Damasium, cui tanta contigit Antistita, felices virgines, quæ tali paruerunt magistræ; impiæ, quæ huius imperiū & magisterium vel contemserunt, vel neglexerunt; cui demones ipsi obsequi sunt coacti, quos ex humanis corporibus pulsos procul eiecit; morbi profligati sanctam clamitarunt, cum ad illius vocem à languentibus recesserunt. Quid miramur illam futurorum consciam fuisse, quæ omnium sæculorum conditorem semper in pectore, & virgineo corpore circumferebat, præsertim cum tanta ejus fuerit religio, ut vnius dicti causâ, quod inane & profanū virgini videbatur, magnam vim lacrymarū profunderet, inediâ multorum dierum & periuigilijs expiaret. Nec illud supra fidem in vltimis versanti, voce viribusque defectæ à cælitibus cælestem agnum in cibum ac viaticum allatum, quando cum illis mox corpore expedita, in cælum euolauit.

O virgo flos pudoris,
O virgo flos honoris,
Quæ nat a non parentes
Arripit, aut superbos
Sceptroque purpuræque,
Quamuis sat propinquos
Ducēsque cesarēque,
Vastōque Barbarossas;
Sed omnium parentem

Ducūque Cesarūque,
Diūmque conditorem:
Quinquennis huic puella,
Puella adhuc tenella
Mechtildis est dicata,
Mechtildis est sacrata
Æterna sponsa cælo;
Cui virgo sola mater
Paterque solus ille est,

Qui solus vnus vnus
Gignitque, amatque natum:
Cui supplicat clienta
Natura tota Patri.
O virgo flos pudoris,
O virgo flos honoris,
Fane patrona terris,
Votisque pande cælum,
Quod culpa nostra clausit.

B. MECH-